



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Duæ opiniones Aureoli, & Gregorij, & aliorum. c. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

quam natura producti, dat illi esse talis rei, communicando illi eam formam: tamen si relatio producti fundetur in illa unione, quam hi dicunt, esse terminum formalem.

ARTICVLVS IV.

Utrum in diuinis sit potentia respectu actuum notionalium.

AD quantum sic proceditur. Videtur, quod in diuinis non sit potentia respectu actuum notionalium. Omnis enim potentia est vel actiua, vel passiu. Sed neutra hic competere potest. Potentia enim passiu in Deo non est, ut supra ostensum est. Potentia vero actiua non competit uni personae respectu alterius: cum personae diuinae non sint factae, ut ostensum est. Ergo in diuinis non est potentia ad actus notionales.

2. Praeterea. Potentia dicitur ad possibile. Sed diuinae personae non sunt de numero possibile, sed de numero necessarium: ergo respectu actuum notionalium, quibus diuinae personae procedunt, non debet poni potentia in diuinis.

3. Praeterea. Filius procedit ut verbum, quod est conceptio intellectus; Spiritus autem sanctus procedit ut amor, qui pertinet ad voluntatem. Sed potentia in Deo dicitur per comparisonem ad effectus: non autem per comparisonem ad intelligere & velle, ut supra habitum est. Ergo in diuinis non debet dici potentia per comparisonem ad actus notionales.

Sed contra est quod dicitur Augustinus, contra Maxi. haeticum, si Deus Pater non potuit generare Filium sibi aequalem, ubi est omnipotentia Dei Patris? Est ergo in diuinis potentia respectu actuum notionalium.

Respondetur dicendum, quod sicut ponuntur actus notionales in diuinis, ita necesse est ibi ponere potentiam respectu huiusmodi actuum, cum potentia nihil aliud significet quam principium alicuius actus. Vnde cum Patrem intelligamus ut principium generationis, & Patrem & Filium ut principium spirationis, necesse est quod Patri attribuamus potentiam generandi, & Patri & Filio potentiam spirandi. Quia potentia generandi significat id quo generas generat: omnis autem generans generat aliquo. Vnde in omni generante oportet ponere potentiam generandi, & in spirante potentiam spirandi.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut secundum actus notionales non procedit aliqua persona ut facta, ita neque potentia ad actus notionales dicitur in di-

uinis per respectum ad aliquam personam factam, sed solum per respectum ad procedentem personam.

Ad secundum dicendum, quod possibile secundum quod necessario opponitur, sequitur potentiam passiuam, quae non est in diuinis. Vnde neque in diuinis est aliquid possibile per modum istum, sed solum secundum quod possibile continetur sub necessario. Sic autem dic. potest, quod sicut Deum esse est possibile, sic Filium generari est possibile.

Ad tertium dicendum, quod potentia significat principium. Principium autem distinctionem importat ab eo cuius est principium. Consideratur autem duplex distinctio in his quae dicuntur de Deo. Vna secundum rem, alia secundum rationem tantum. Secundum rem quidem Deus distinguitur per essentiam a rebus, quarum est per creationem principium: sicut una persona distinguitur ab alia cuius est principium, secundum actum notionalalem. Sed actio ab agente non distinguitur in Deo, nisi secundum rationem tantum, alioquin actio esset accidens in Deo. Et ideo respectu aliarum actionum, secundum quas aliqua res procedunt distincta a Deo, vel essentialiter, vel personaliter, potest Deo attribui potentia secundum propriam rationem principij. Et ideo sicut potentiam ponimus creandi in Deo, ita possumus ponere potentiam generandi, vel respirandi. Sed intelligere & velle non sunt tales actus, qui designent processionem alicuius rei a Deo distinctae vel essentialiter, vel personaliter. Vnde respectu horum actuum non potest saluari ratio potentiae in Deo, nisi secundum modum intelligendi & significandi tantum: prout diuersimode significatur in Deo intellectus & intelligere, cum tamen ipsum intelligere Dei sit eius essentia non habens principium.

CONCLVSIO est affirmans. In articulo vero nihil peculiare notandum occurrit praeterea, quae in disputatione examinanda sunt.

DISPUT. CLXIII.

An in Deo sit vera ratio potentiae productantis intra ipsum.

Duae opiniones Aureoli, Gregorij, & aliorum, cap. 1. In Deo esse veram realem potentiam producentem, non tantum respectu personae productae, sed etiam respectu actus notionalis, probabitur est, cap. 2. Respondetur argumentis Aureoli, & aliorum, cap. 3.

CAPVT I.

Duae opiniones Aureoli & Gregorij, & aliorum.

IN difficultate proposita prima sententia fuit Aureoli, in 1. d. 7. q. 1. a. 2. ut refertur a Capr loco citato in Prima opinio, praedisp. c. vii. neque in Deo vere non esse potentiam producentem.

productum, nec respectu actuum notionalium, nec respectu personæ productæ; sed potentiam Dei ad generandum, vel spirandum nihil aliud esse, quam non repugnantiam terminorum, eodem prorsus modo, quo dicere solemus, Deus habet potentiam, ut sit Deus: probat primum, quia ubi non est vere productio elicitæ, vere non est potentia producentis: hæc enim est respectu producti

Prima ratio.

motu actione, aut productione à se elicitæ: in Deo autem non est productio elicitæ: intra ipsum, nam generatio, reuera non est elicitæ: est enim idem omnino cum producente: productio vero elicitæ realiter differt ab eliciente: elicere namque realiter distinctionem denotat: ergo in Deo non est potentia producentis intra ipsum. Deinde esse Patrem in Deo non est alicuius potentie productentis, sed non repugnantie terminorum: itaque Deus potest esse Pater non quidem potentia producente, sed non repugnantia terminorum ergo esse Filium non est potentie producentis, sed non repugnantie. Hæc sunt potissimæ rationes illius.

Secunda ratio.

Conuictus autem Greg. priori ratione, existimauit, in Deo non esse potentiam realem respectu actuum notionalium, sed tantum respectu personæ productæ. Sic docuit in 1. d. 7. q. 1. art. 1. ad 1. Aureoli, cui consentiunt Capreolus eadem diff. qu. 1. art. 2. ad 2. Aureoli, contra primam conclusionem. Caietan. & Cárar. in hunc artic. Idem docent de potentia creandi, eo quod putant inter Deum creatorem & creaturam non esse mediam actionem elicitam, similiter, nec inter Patrem generantem & Filium genitum: est enim solum relatio aut producentis, aut producti per modum actionis: ac proinde potentia realis solum concedenda est respectu personæ productæ, non autem respectu productionis, quæ reuera non est elicitæ, cum non sit aliud, quam res producta. Nam quemadmodum, ut sit potentia realis respectu rei productæ, debet res producta distinguí realiter à producente, ita, ut sit realis potentia respectu productionis, debet esse actio vere & secundum rem media inter producentem, & productum, ut ita actio quoque elicitæ sit à producente. Hanc sententiam indicare, videtur S. Tho. supra qu. 25. art. 1. ad 3. ubi concedit in Deo potentiam vere comparatam cum effectu, non tamen cum operatione: quia, inquit, operatio Dei non distinguitur ab ipsa potentia Dei, & in hoc art. ad 3. & qu. 2. de potentia, art. 1. in fine idem videtur docere.

Ratio.

CAPVT II.

In Deo esse vere realem potentiam producentem, non tantum respectu personæ productæ, sed etiam respectu actus notionalis, probabilius est.

Prima assertio.

Ego vero multo probabilius esse censeo, & magis secundum mentem Doctoris sancti, ponendam esse potentiam producentem realem in Deo, non solum respectu personæ productæ, sed etiam respectu productionis, & actus notionalis. Quam in primis video mihi colligere ex S. Tho. in hoc art. cum enim in titulo quæsisset, utrum esset potentia respectu actuum notionalium, respondens in corpore disertis verbis eam concedit: & ad 3. respondet, in Deo esse potentiam huiusmodi respectu illarum actionem, secundum quas res aliquæ procedunt à Deo distinctæ vel essentialiter, vel personaliter tantum; cum tamen in eadem solutione dicat, non esse poten-

S. Thomas.

tiam huiusmodi respectu operationis immanentis essentialis, qualis est intellectio & dilectio. Neque quidquam aliud dicere voluit in quæst. 25. artic. 1. quem Caietanus, & alij pro sua referunt sententia, ut disputatione 102. cap. 1. notauimus. Solum enim ibi dicit, in Deo non esse potentiam secundum rem respectu operationum immanentium intellectu, & voluntatis, intelligit autem essentialis.

Ratione vero probatur, quia ad rationem potentie realis, non est necesse, actionem seu productionem distinguí à re producta, & ab ipso producente, eo quod ipsa actio non est id, quod producit: sed quasi medius actus, quo res ipsa & effectus producit, qui sola nostra consideratione medius est, & à relatione & producti sola ratione differt: satis autem videtur distinguí rem productam à producente: sic enim ipsa vere elicitur, & egreditur ab agente, eius autem egressio est actio media inter illam & principium producentis: ut inuis autem duplex actus huius egressus intelligitur, alter, qui dicitur origo actus, & est idem realiter cum relatione producentis: alter, qui dicitur origo actus, & est idem realiter cum relatione producti. In productionibus quidem rerum creaturarum id licet intueri, nam fieri res ab agente creato nihil aliud secundum rem videtur esse, quam ipsa relatio producti considerari per modum viæ; vel si dicatur modus aliquis illius rei ita consideratus, qui in rebus, quæ non pendent ab agente, continuo desinit esse, reuera iam producta; in aliis vero, ut in lumine, & intellectu eliciente intellectionem, quibusdam videtur non distinguí ab ipsa re producta, eodem modo est ipsa creatio in re creati. Cum igitur dicamus, in intellectu nostro esse potentiam realem, non solum ad rem productam, sed ad productionem illius, in Sole similiter ad lumen productum, & ad illuminationem, sequitur, necessariam esse distinctionem realem inter originem & personam productam, ut in Deo dicatur esse potentia secundum rem, non tantum ad personam productam, sed etiam ad ipsam originem & actum notionalem.

Neque quidquam obest, quo minus in Deo hæc potentia, esse idem ex natura rei cum essentia diuina, & persona producente; ut enim dicatur potentia realis ad aliquam operationem, aut ad aliquam rem productam, non opus est realiter distinguí ab eo, cui inest: sed sufficit distinguí realiter à re ipsa producta, ut notauimus supra disputatione 102. cap. 1. Quod circa existimo etiam manifeste Aureoli. cum asseruit, potentiam in Deo, ut sit Filius, non esse aliam, quam, ut sit Pater: cum cum Filius secundum rem vere producat, non autem Pater; potentia, ut sit Filius, & producat, est realis, ut autem sit Pater, qui non producat, non est realis.

CAPVT III.

Respondetur argumentis Aureoli, & aliorum.

Am vero ex dictis soluta manent duo argumenta Aureoli. Ad prius enim dictum est, non esse potentiam producentem in Deo, quia non sit productio realiter distincta à re producta: quin imo hoc non obstante, esse potentiam respectu etiam actuum notionalium, quia ad ipsam